

DE IOANNE MORISOTO, BELLI CICERONIANI ADVERSUS
ERASMUM MILITE*

Scripsit

ANTONIUS HAAKER

ABSTRACT: The goal of this article is to describe a previously little known episode of the famous Ciceronian controversy by collecting and analysing all passages in which the French humanist Jean Morisot (ca. 1510–before 1581) attacks Erasmus. As a conclusion it is possible to assert that Morisot's criticism was not primarily aimed at Erasmus' religious views, as it has been previously thought, but that Morisot should be ranked together with Estienne Dolet, Ortensio Lando and Julius Caesar Scaliger among the opponents of Erasmus in the Ciceronian quarrel.

LIBELLI PARTITIO

Controversiae, quae inter Ioannem Morisotum et Desiderium Erasmum fuit, historiam atque causas expositurus ita progrediar ut, posteaquam colloquia scholastica Morisoti et eorum cum Erasmianis similitudines descripserim, paucis verbis exponam quae sententiae antea propositae sint a viris doctis ad explicandam miram illam et vehementem Erasmi vituperationem, quam Morisotus in initio suorum colloquiorum esse voluit; tum id quod ipse de tota re sentio aperiam omnibus Morisoti locis, qui sunt adversus Erasmum, diligenter collectis et examinatis; postremo opiniones aliorum interpretum cum mea commissas perpendam.

* Continet haec symbola materiam acroasis, quae Wratislaviae die 19 Maii a. 2010 in consessu Societatis Philologiae Polonorum habita est. Debitas gratias agimus Professori Iacobo PIGOŃ Universitatis Wratislaviensis, quod nobis ut in his commentariis oratio publici iuris fieret proposuit nosque impulit ut significationem Morisoti epigrammatum penitius inquireremus. Gratiam quoque habemus viro controversiarum de studio Ciceronis imitandi uni peritissimo, Professori Terentio TUNBERG Universitatis Kentuckianae, qui non solum nobis perhumaniter sua consilia impertiverit, verum etiam nobiscum communicaverit, antequam typis exprimeretur, novissimam suam de hoc argumento commentationem, orationem dico, quam Ratisbonae in conventu Academiae Latinitati Fovendae habuit.

VITA IOANNIS MORISOTI PAUCIS DESCRIPTA

Quoniam vero Morisotus paucis notus est, haud inutile erit, priusquam ad ipsum libelli argumentum accedam, pauca de eius vita et scriptis praefari¹.

Is Dolae, in ea Galliae parte, quae liber Comitatus vocatur (vulgo *la Franche-Comté*), saeculo sexto decimo floruit. Quanquam nihil certi habemus de annis, quibus vixit, coniectura assequi possumus eum lucem vidisse anno circiter 1510; anno autem 1580 vel paulo antea ad plures abiisse. Est, ut videtur, e gente Divionensi Morisota ortus, quae tam re publica administranda quam litteris colendis nobilitata est. Affinitate attingit verbi causa Claudium Bartholomaeum Morisotum Divionensem, virum libris editis saeculo septimo decimo satis celebrem qui, ut alia multa taceam, aliquot fabulas Romanenses Latine composuit atque Fastorum libros, quos Ovidius inchoatos reliquit, suis versibus supplevit. Sed, ut iam ad eum redeamus, cuius vitam paucis contexere nobis proposuimus, Ioannes Morisotus in academia Dolana medicinae studuit. Nec tamen industriam suam intra artis Hippocraticae cancellos continuit, verum pro suo singulari discendi studio mathematicam, philosophiam, theologiam, ne plura, omnes fere doctrinas et artes suae aetatis attigit atque multa et varia opera conscripsit qua oratione soluta, qua versu, tam Latine quam Graece. In his dialogos de re medica, dialecto Ionica; Graecos commentarios in Galenum et Aristotelem; Latine traegodiam de Didone, carmen epicum de S. Antonio, libros de arithmetica, aliquot orationes, alia permulta. Titulos singulorum librorum longum est percensere. Sunt enim numero plus quinquaginta. Quorum tantum septem, quia typis expressa sunt, ad nos pervenerunt. Posteaquam studia ad finem adduxit, matrimonii foedere cum Claudia de Marenche coniunctus medicinam facere coepit ut sibi victum pararet, neque umquam, ut videtur, vel alio habitatum concessit vel vitae institutum mutavit. Scimus tamen eum per aliquod tempus quasdam scholas de litteris Graecis atque Latinis in ludo Dolano habuisse.

¹ De Ioannis Morisoti vita et scriptis egerunt cum alii, tum A. BÖMER in commentatione *Aus dem Kampfe gegen die Colloquia Familiaria des Erasmus: Die Dialoge des Johannes Morisotus* nuncupata et edita in commentariis periodicis q.i. Archiv für Kulturgeschichte, vol. IX 1911, pp. 1–73 atque C. WEISS in notitia quae inserta est in tomo XXX Ludovici Gabrielis Michaud *Biographiae Universalis* Lutetiae Parisiorum anno 1821 divulgato, pp. 179–181. Qui, cum nonnulla ignoraverint, quaedam etiam minus recte scripserint, animus est alias de hoc argumento plenius et correctius commentari. Interea lectores monere velim ne mirentur, quod tempus mortis Morisoti anno circiter 1580 statuo, de quo vulgo dicitur nihil post annum 1551 memoriae traditum esse, vel quod eum ludi Dolani magistrum facio, qui medicinae professor in academia Dolana fuisse perhibetur.

DE COLLOQUIIS SCHOLASTICIS

Ad tempora autem, quibus Morisotus magister ludi Dolani erat, pertinere videntur eius colloquiorum libri quattuor². Sunt colloquia scholastica Latina, id est dialogi conscripti quo facilius alumni de rebus cottidianis Latine sermocinarentur. Scimus moris fuisse ut in plerisque omnibus illius aetatis ludis litterariis paene nulla alia lingua nisi Latina pueris uti liceret. Nec satis erat lingua Latina loqui, id perite facere necesse erat, hoc est sermone uti ab omni vitio remoto atque etiam, si fieri posset, eleganti et copioso. Quam ob rem doctores discipulis dialogos proponere solebant ad quorum imitationem sermones cottidianos conformarent. Faciliores fabulis Terentianis Plautinisve sunt atque puerili imitationi aptiores. Nam ad vitam adulescentuli vel pueri saeculi sexti decimi propius accedunt; sunt numeris soluti; carent vocibus quibusdam obsoletis, quas apud veteres comicos invenimus, sed vocabula prorsus necessaria ad res cottidiani usus denotandas suppeditant, quae apud antiquos vel rarius occurrunt vel omnino desunt. Ad haec morales praeceptiones necnon doctrinae Christianae elementa continent ut puerorum animi non solum linguae Latinae scientia, sed etiam bonis moribus et Christiana pietate imbuantur.

Talia sunt colloquia scholastica. Permulta scripta sunt³ nec tantummodo ab ignobilibus magistellis, verum etiam a viris doctrinae laude illustrissimis veluti Ludovico Vive vel Desiderio Erasmo.

QUAM SIMILIA SINT MORISOTI ET ERASMI COLLOQUIA

Morisotus autem, si quis alius, colloquia scripsit Erasmicorum consimilia. Neque id dicimus, quia Morisotus plagium litterarium commiserit vel serviliter scriptorem Batavum secutus sit. Ita enim nobis videtur Erasmus imitatus ut vere

² I. Morisoti *Colloquiorum libri quatuor*, Basileae [1550]. Cum extremam manum operi imponerem, casu factum est ut discerem exemplaris bibliothecae Monacensis imagines in rete omnium gentium ad communem utilitatem positas esse. Quas inspice sis in pagina: <http://daten.digital-sammlungen.de/~db/0001/bsb00015987/image_1>. Id te ignorare nolui, cum colloquia Morisoti satis raro in bibliothecis reperiri scirem.

³ De colloquiis scholasticis Latinis renescentium litterarum aetate compositis imprimis consulendi L. MASSEBIEAU in libro q.i. *Les colloques scolaires du seizième siècle et leurs auteurs (1480–1570)* Lutetiae Parisiorum 1878 edito et A. BÖMER in libro q.i. *Die lateinischen Schülergespräche der Humanisten. Auszüge mit Einleitungen, Anmerkungen und Namen- und Sachregister*, 2 voll., Berolini 1897–1899. Praeterea, ne singulos recentiores enumerem, P. MACARDLE optimum librum colloquiis familiaribus Schottenii dicavit: *Confabulations. Cologne Life and Humanism in Hermann Schotten's Confabulations tironum litterariorum (Cologne, 1525)*, Mancunii 2007. In quo libro auctor non solum de Schottenio agit, sed etiam multa inspergit de aliis colloquiorum familiarium scriptoribus. Ibi qui plura scire cupiunt plerasque commentationes invenient de huius generis dialogis post BÖMERI opus conscriptas. Haec de Latinis colloquiis. De Graecis vero nihil dandum scriptum. Quam lacunam supplere olim conatus sum in commentatione magistrali, quam retractatam atque e Latino in Gallicum conversam mox publicae luci committam hoc praefixo titulo: *Parler le grec ancien à la Renaissance: les colloques scolaires grecs*.

suus in colloquiorum libris existeret. Ubique tamen Erasmi imitationis vestigia reperias. Ut de proverbiiis taceam (nam, quod Morisotus adagia ab Erasmo collecta suis scriptis inseruit, id commune est Morisoto cum propemodum omnibus eius aequalibus), multa genera loquendi ab Erasmo in suis colloquiis familiaribus usurpata⁴, multa quoque personarum nomina Morisotus in suum opus transtulit atque simili artificio personis nomina affixit significantia, velut cum appellavit *Patrophilum* pium filium, *Misoponum* discipulum improbum, *Philomusum* alumnum litterarum studiosissimum, et ita porro. Sed, quod maius est atque citius sentiri potest legendo quam verbis describi, genera eadem dialogorum in utroque opere legas⁵; similes sententias; similes praeceptiones morales; similes sales ubique aspersos.

Etenim plerique colloquiorum scholasticorum auctores intra scholae parietes dialogorum suorum argumenta continentes induxerunt alumnos praeceptoresve

⁴ Pauca vestigia imitationis verborum Erasmi in Morisoti colloquiis obvia habeto: Morisotus, lib. cit. in annot. 2, p. 63 scripsit: “Aut parum prospiciunt oculi, aut Gregorium video, adolescentem haud incommodum”. Erasmus (colloquia cito e volumine hoc: *Opera omnia Desiderii Erasmi Roterodami recognita atque adnotatione critica instructa illustrata. Ordinis primi tomus tertius*, Amstelodami 1972) initio colloquii q.i. “De captandis beneficiis”, p. 150: “Aut parum prospiciunt oculi, aut Coclitem veterem compotorem meum video”. P. 63 Morisotus: “Greg. Salvete vini gurgites. Blas. Salve tu quoque placentarum helluo”. Erasmus autem in formulis salutandi initio colloquiorum positus, p. 126: “Salve vini perniciēs. Resp. Salve et tu gurgēs helluoque placentarum!” Morisotus, p. 111: “Philippus: At non impune contemnes Rhamnusiam. Hippocharmes: Quid mihi somnias metus Atticos? Dolae es, non Athenis”. Erasmus, p. 127 inter easdem salutandi formulas: “Χαῖρε. Resp. Memento te Basileae esse, non Athenis”. Itidem Morisoti locus paginae 112 “Salve senex annos nate triginta” reducit in mentem Erasmianam salutationem “Salve anicula annos nata quindecim”, quam legas p. 126. Quemadmodum Morisotus p. 206 dicit “Fabulam fabula pensabo”; ita Erasmus in colloquio q.i. “ἰχθυοφαγία”, p. 525 “Sed age fabulam fabula pensabo” et in colloquio q.i. “Alcumista”, p. 429 “Quum vacabit et audiam lubens, et fabulam fabula pensabo”. Scriptum est a Morisoto p. 220 colloquiorum: “Sic vulgo luditur alea; sic crapulae, symphoniacis, iocis et scortis indulgetur”; ab Erasmo autem in colloquio q.i. “Puerpera”, p. 457: “Vulgo peccant, vulgo luditur alea, vulgo commeat ad fornicēs, vulgo fraudatur, potatur, insanitur”. Morisotus scribit p. 250: “Pereant fumo qui fumis urbium delectantur”; Erasmum imitatus, qui in initio colloquii cui titulus “Convivium religiosum”, p. 231 scripserat: “demiror esse qui fumosis urbibus delectentur”. Haec sunt pauca, quae non ita recens ab Erasmi lectione, dum Morisotum evolvebam, vestigia imitationis Erasmianae deprehendi, plura, opinor, inventurus, si diligenter utrumque opus contulisset.

⁵ Duo exempla afferam. Apud Morisotum, lib. cit. in annot. 2, pp. 97–107 invenias colloquium “narrationes” inscriptum in quo tres veteres congerrones primum post longissimum tempus sermonem habent, quo invicem narrant quid fecerint ex quo convenere. Simili narrandi artificio usus erat Erasmus in dialogo quem “Ἐρωτολογία” inscripsit, lib. cit. in annot. 4, p. 375–388. Alibi, in colloquio Morisotiano, q.i. “contentio de authoribus inutilis”, p. 180–182 persona Sophroniae, feminae doctae, quae plus sapit quam vir, quicum loquitur, gemella quaedam est Magdaliae decantatissimi illius colloquii “Abbatis et eruditae”. Eadem quippe ratione Gallus auctor adhibet παράδοξον personam ad sententiam suam legentibus proponendam, mulierem doctam, quae virum redarguat. Neque dissimiliter utraque femina erudita in extremo dialogo vaticinatur. Sic enim Morisoti Sophronia, p. 182: “Est pol futurum ut mulieres arrepta toga, de bonis litteris inter se commententur studeantque tales evadere quales vos agnoscitis Budaeum et Erasmum fuisse”. Magdalia Erasmi hariolata erat his verbis, p. 407: “Quod nisi caveritis vos, res eo tandem evadet ut nos praesideamus in scholis theologis, ut concionemur in templis. Occupabimus mitras vestras”.

loquentes de rebus scholaribus. Quorum colloquia ferme sunt de instrumento scholastico, de lusibus (siquidem alumni Latine loqui tenebantur etiam dum lusitabant), de optima ratione studiorum, de missione a magistro impetranda, de aliis scholae rebus. Ad haec auctores plerumque austeris praeceptis abundant de deo colendo, de parentibus observandis deque oboedientia magistris praestanda.

Hoc vero commune est Erasmo cum Morisoto, hoc eorum proprium, primum quod non solum de scholaribus, sed de omnibus rebus, quae in vita usu venire solent, verba faciunt, tum, quod in eorum colloquiis homines omnium ordinum: monachi, sacerdotes, cerdones, milites, alii, tam mares quam feminae, tam pueri quam senes partes agunt; dein, quod iidem nequaquam tristes paedagogi sunt. Immo vero sunt scriptores saepe salsi, qui ioca, qui facetias⁶ narrare non dubitant, quorum dialogi suavi iocosoque dicendi genere conscripti Lucianeum quiddam⁷ spirant. Qui etiam cum quid de bonis moribus praecipiant, dum in vitia cleri, in pravos milites, in sacerdotes beneficiorum ecclesiasticorum captatores invehuntur, id iucunde faciunt et secundum poëtae praeceptum conantur “miscere utile dulci”.

Quibus de causis Erasmi et Morisoti colloquia digna esse existimo, quae hodie quoque legantur et id etiam a viris factis, non solum a pueris, neque tantummodo ad id ut Latine loquendi facultatem sibi parent, sed ut iucunde illorum temporum historiam melius noscant. Quippe, ex iis quaedam non solum de ludis litterariis, verum etiam generatim et universe de vita ac moribus aetatis renascentium litterarum addiscimus atque, quo haud scio an nihil in litteris maius sit, iis oblectamur.

DE MIRA ERASMI REPREHENSIONE, QUAE IN INITIO MORISOTI COLLOQUIORUM POSITA EST

Sed ob hanc ipsam utriusque operis similitudinem nonnulli recentiores critici praefationem Morisoti legentes magnopere mirati sunt⁸. Sic enim ille in epistola ad filium Constantinum, quam colloquiis praefixit:

⁶ Apud utrumque invenias cum fabellas dialogis admixtas, tum colloquium integrum facetiis dictatum: apud Erasmum (lib. cit. in annot. 4, pp. 438–449) “Convivium fabulosum” inscribitur; apud Morisotum (lib. cit. in annot. 2, pp. 205–211) “Fabulae”. Utrobique sodales facete dicta invicem narrant.

⁷ Quantum Erasmus Lucianum in colloquiorum familiarium opere expresserit fuse ostendit M. KEEP in libro q.i. *Die Colloquia Familiaria des Erasmus und Lucian*, Halis Saxonum 1927. Luciani similitudinem quamvis Morisotus in praefatione ad colloquia Erasmo exprobrat, ipse, lib. cit. in annot. 2, p. 206 in dialogo cui nomen “Fabulae” indidit, “Lucianicas historiolas” ait se esse narraturum.

⁸ Cfr. P.G. BIETENHOLZ censuram in libro inscripto *Basle and France in the Sixteenth Century: The Basle Humanists and Printers* Genavae 1971 edito, p. 240 sq. (quaedam verba ipse obliquis litteris distinxit): “Of all representatives of Dole among the Basle authors, the least known is the most interesting, especially with respect to the progress of French Erasmianism. Jean Morisot, born

Cum sis unicus, inquit fol. α 2, nec malae spei, suavissime Constantine, non iniuria videor voluisse in tuam gratiam repuerascere ut Latinae linguae puritati a teneris, quod aiunt, unguiculis assuesceres ac velut cum lacte morum sanctimoniam ebiberes. Erasmus idem tentarat in suo Erasmio⁹, nec infoeliciter, mea quidem sententia, si docendi potius quam ulciscendi studio colloquia conscripsisset; verum sic Lucianum plerumque expressit ut gentilium aliquem, non Christianum audire videaris. Nam, ut caetera taceam, quale est illud *Quis Deus, aut casus Deo foelicior nos coniunxit?*¹⁰ Certe opus est non vulgari iudicio in formandis puerorum ingeniis.

Mirum sane videtur Morisotum tam acerbe de Erasmo loqui in praefatione ad colloquia Erasmicorum simillima. Nonne hoc est protervis verbis eum incessere, cui progressus in litteris acceptos referre debebat? Et quomodo, si Erasmica colloquia impia sint, Morisotiana eorum similia impietatis notam effugiant?

Antequam id quod sentio de hac praefatione aperiam, breviter perstringam quae sententiae adhuc propositae sint a viris doctis ad eam declarandam.

QUID LUCIANUS FEBVRE DE HOC LOCO SENSERIT

Duas sententias viri docti proposuerunt ut rationem praefationis redderent. Prior est Luciani FEBVRE, historici clari atque conditoris una cum Marco BLOCH illius Gallicae scholae Annalium, quae dicitur; altera Aloisii BÖMER, olim praefecti bibliothecae Wratislaviensis, viri de colloquiis scholasticis investigandis optime meriti.

Lucianus FEBVRE in egregio libello¹¹, quem scripsit de Gilberto Cognato Sequano eo, qui diu famulus Erasmi fuit, descriptis Erasmicorum, velut rerum

at Dole and a physician there until his death some time after 1551, was not given to letter writing, nor was he inclined to subject himself to the exigencies of a public career. But he was an esteemed friend of Lullus and Cousin, and to judge from the few opuscula that were published among the many that he wrote, his was the most original mind of the whole circle of native Comtois humanists. [...] Oporinus [...] issued the most noteworthy of his books, a collection of *Colloquia* [...]. In this work *Morisot makes no effort to hide his dependence upon Erasmus. Many of his dialogues are frank imitations of some of the best known colloquies of the latter.* The message too is an often much simplified repetition of the typically Erasmian concerns: analogous figures are introduced by both authors to express abhorrence of national pride, war and soldiers, of a father sacrificing his daughter to a rich syphilitic, or of vice-addicted and lazy priests. [...] *By contrast [...] repeated touches of immorality defy the decorum carefully observed by Erasmus: there is, for instance, the husband who has to enter a church to discover his wife's adultery with a priest; there is a frank report of the highly natural contacts between adolescent boys and girls. In view of such concessions to sensual reality, combined with his general dependence upon Erasmus, it is indeed remarkable that in his preface Morisot should dare to criticize the Erasmian Colloquies for their paganizing Lucianism and their tendency to sacrifice the pedagogical end to personal vindictiveness*".

⁹ Scimus Erasmum dicavisse colloquia parvulo Erasmio, typographi Basiliensis Frobenii filio.

¹⁰ Sunt haec verba desumpta ex Erasmi colloquio q.i. "Γερωντολογία", lib. cit. in annot. 4, p. 375.

¹¹ L. FEBVRE *Un secrétaire d'Erasmus, Gilbert Cousin et la réforme en Franche-Comté*, in commentariis periodicis q.i. Bulletin de la Société d'Histoire du Protestantisme, Lutetiae Parisiorum 1907, pp. 97–179. Morisoti colloquia attingit p. 113.

divinarum novatorum, persecutionibus, quae in Libero Comitatu acciderunt, asseverat Morisotum in limine colloquiorum suorum sugillavisse Erasmus ut, si quidam catholici extremae factionis sibi dicam haereseos scriberent, quod nimis Erasmice sentiret scriberetve, latebram paratam haberet, id est respondere posset tantum abesse ut Erasmi assecla esset ut contra ea Batavum haereticum statim in praefatione libri sui fortiter aggressus esset. Haec ingeniose FEBVRE, ut solebat omnia.

ALOISII BÖMER OPINIO

Nunc ad Aloisium BÖMER venio. Is in longa commentatione, quam de Ioanne Morisoto conscripsit, aliam opinionem tuetur. Iam ineunte anno 1536 Franciscani impetraverant ut Erasmi colloquia Dolae prohiberentur¹² atque eo res mox pervenerat ut iam nullum Erasmi scriptum Dolae legi liceret.

Putabat igitur BÖMER Morisotum, hominem scilicet non minus fanaticum quam hi Franciscani fuerunt, eorum vestigia persecutum pugnasse adversus Erasmus atque haec colloquia confecisse, quae impio Batavi scriptoris operi, si posset, substitueret¹³.

QUAE SIT SENTENTIA HIC PROPOSITA

Haec Bömer. Quid ipse sentiam e titulo, quem huic symbolae indidi, haud difficile est coniectare. Equidem odium Morisoti erga Erasmus maxima ex parte

¹² Basileae die 17. Maii 1536 scribebat Erasmus amico Vesentino Francisco Bonvaloto “se demirari Dolae tantum posse duos Franciscanos. Colloquia et vendi et excudi Lutetiae, et Dola exulare. Qui dicerent in illis aliquid esse haereticum, sive docti essent, sive indocti, eos mentiri” (videatur *Opus Epistolarum Des. Erasmi denuo recognitum et auctum per P.S. Allen [...]*, Oxonii 1906–1958. Locum quem attuli legas t. XI, in ep. numero 3122, p. 326). Adde huc Gilberti Cognati testimonium, quod in litteris eodem anno ad Amerbachium missis reperitur. Cognati verba, ab Herminjard citata, haec sunt: “Quid actum sit Dolae ac Vesontii de libris novis – novos interpretantur L<utheri>, M<elanchtonis>, E<rasmi> [...] – iam istuc, ni fallor, pertulit rumor” (videsis librum c.t. *Correspondance des Réformateurs dans les pays de langue française recueillie et publiée avec d’autres lettres relatives à la Réforme et des notes historiques et biographiques par A.-L. Herminjard*, ed. altera, T. IV, Genavae, Basileae, Lugduni, Lutetiae 1878, p. 174).

¹³ Vide BÖMER, lib. cit. in annot. 1, imprimis p. 1 et p. 15 sq. Ceterum, ne quid dissimulem, BÖMER, qui Morisotum esse Ciceronianum viderat, scripsit forsitan caecum hunc Ciceronis amorem in principio quidem Morisotum irritavisse contra Erasmus. “Blinde Cicero-Verehrung”, inquit p. 4, “wird es auch wohl gewesen sein, was ihn zuerst zur Gegnerschaft des so freimütige Kritik an dem vergötterten Römer übenden Erasmus gereizt hat”. Putat tamen longe maiorem extitisse causam odii erga Erasmus, nempe Morisoti superstitionem, qua eum vel hos duos monachos, de quibus diximus, adaequare credit: “Morisotus aber”, ait p. 16, “war ebenso engherzig wie jene Mönche. Mit einer im Buche vorkommenden Redensart wie ‘Quis Deus aut casus Deo felicius nos coniunxit?’ hat es Erasmus so gründlich bei ihm verdorben, daß er sich zu der Behauptung versteigt, man glaube bei seinen Dialogen oft einen Heiden von dem Schläge Lucians und nicht einen Christen vor sich zu haben”, etc.

ad bellum Ciceronianum referendum esse arbitror, id est ad eam controversiam, quae facta est saeculo sexto decimo de Ciceronis imitatione. Quam controversiam, priusquam ad ipsius Ioannis Morisoti sententiam accedam, non abs re videtur summatim attingere.

BELLI CICERONIANI ADUMBRATIO

Erasmus¹⁴ iam anno 1526 in lepidissimo dialogo, qui inscribitur “Echo” quemque colloquiis familiaribus inseruit (lib. cit. in annot. 4, pp. 555–558), diligentiore Tullianae dictionis affectationem obiter taxaverat. Duobus post annis iustum librum *Ciceronianus* inscriptum uni huic argumento dicavit. In quo libro viros doctos, qui adamussim Ciceronem imitabantur et sese Ciceronianos vocitabant, multo sale defricat.

Longum est singula Erasmi argumenta et iocos enumerare. Unum dumtaxat, quod ad rem maxime pertinet, referam: stultum esse ostendit in omnibus imitari velle Ciceronem spretis reliquis linguae Latinae auctoribus quod Tullius quoque vitia habeat, stultum autem sit vitia imitari. Melius Erasmo videtur optima quaeque e variis auctoribus decerpere ut ipse melior fias scriptor atque proprium dicendi genus tibi efficias, nulli alteri simile. Hoc ut demonstret Erasmus, vitiosos Ciceronis locos adducit, velut soloecum hoc “commorans Athenis [...] erat animus ad te scribere” vel illud “O fortunatam, natam me consule, Romam!”¹⁵. Quem versiculum “velut Echus imaginem ludicram referentem” ut ineptum et prorsus infelicem iam deridebat antiquitas. Num etiam haec Ciceronis imitanda sunt? Num hos errores quoque Ciceronianae eloquentiae candidatus exprimere debet?

¹⁴ Rem ab ovo, ut aiunt, non exordiar. Plenior, licet non errorum expertem, historiam belli Ciceroniani exhibent C. LENIENT in commentariolo *De Ciceroniano bello apud recentiores* Parisiis a. 1855 et R. SABBADINI in libro cui titulum fecit *Storia del ciceronianismo e di altre questioni letterarie nell'età della rinascenza* Augustae Taurinorum edito a. 1885. Praeterea, ut silentio transeam recentiores fontium eius controversiae editiones, quae peritiles introductiones atque commentarios continent quasque infra citabo, de eodem argumento videndi M. FUMAROLI in libro q. i. *L'Âge de l'éloquence. Rhétorique et “res literaria” de la Renaissance au seuil de l'époque classique*, Genavae 1980 et T. TUNBERG in commentationibus inscriptis *Ciceronian Latin: Longolius and others*, in commentariis periodicis q.i. *Humanistica Lovaniensia* XLVI 1997, pp. 13–61 atque *De Marco Antonio Mureto, oratore et Gallo et Romano*, item in commentariis periodicis q.i. *Humanistica Lovaniensia* L 2001, pp. 303–327. Adde huc novissimum eiusdem opusculum quod *Erasmii dialogum “Ciceronianum” relegamus!* inscriptum mox prodibit in libro, cui index *Ad fines imperii Romani Anno bismillesimo cladis Varianae: Acta Conventus Academiae Latinitati Fovendae XII Ratisbonensis, 15.–19. Sept. 2009*, in serie librorum c.t. *Supplementa Humanistica Lovaniensia*, Lovanii 2011, pp. 241–258. In quibus commentationibus plura opera recentiora eiusdem argumenti laudata invenias.

¹⁵ Videatur *Desiderio Erasmo da Rotterdam, Il Ciceroniano o dello stilo migliore. Testo latino critico, traduzione italiana, prefazione, introduzione e note a cura di Angiolo Gambaro*, Brixiae 1965, p. 74 et p. 80.

Libro in lucem emisso dici vix potest quanto odio fuerit Erasmus. Apud duas potissimum gentes viri docti indignati sunt, in Italia et in Gallia. Quod quidam Itali offensi sunt, id nemo mirabitur. Hos potissimum petebat Erasmus, hi Ciceronem imitari maxime studebant. Apud Gallos autem Ciceronianorum natio minor erat, sed praeter expectationem maligna Gulielmi Budaei censura, quam Erasmus extremo dialogo inseruerat¹⁶, multorum Gallorum animos exulceraverat. Accedebat quod multi Itali vitam in Gallia agentes oleum camino addebant. Adeo ut res ad ipsum regem Franciscum relata sit.

Ii, qui historiam huius controversiae litteris mandavere, Carolus LENIENT et Remigius SABBADINI (libb. cit. in annot. 14) aliquot viros eruditos numeraverunt, qui in Gallia Erasmum confutare conati essent: Iulium Camillum, Iulium Caesarem Scaligerum, Italos quidem, sed qui tum lares in Galliam transtulerant, atque Stephanum Doletum Aurelium.

RECENSENTUR OMNES LOCI MORISOTIANI ADVERSUS ERASMUM SCRIPTI

Meo quidem iudicio his annumerari poterat Ioannes Morisotus. Nunc dispiciamus atque recenseamus omnes locos scriptorum Morisotianorum (quae quidem ad nos pervenerunt) in quibus Erasmum oppugnat. Tales locos in tribus operibus reperias: In Ciceronis *Paradoxis* a Morisoto recognitis et Graece redditis, in libro de parchemate, in colloquiorum libris.

IN CICERONIS PARADOXIS A MORISOTO EDITIS ET GRAECE VERSIS

In editione Ciceronis *Paradoxorum* anno 1546 parata primos locos Morisoti adversus Erasmum scriptos reperio. Statim in limine operis, in epistola Graeca praefatoria ad ξύμπαντας τοὺς νέους τοὺς τῶν Ἑλληνικῶν λόγων ὀρεγομένου¹⁷: Οὕτω δέ τοι, inquit p. 6, ἤγῃμαι πλέον ὑμῶν ξυνοίσειν, ὧς νέοι ἄριστοι, ἢ εἴπερ ἂν ἐπισημήναιμι τὸν ματελλίωνα βρέτας λέγεσθαι δούλου τοῦ οὐροδοχοφόρου, id est, “sic me plus vobis profuturum esse duxi,

¹⁶ Lib. cit. in annot. 15, p. 230. Ubi vide varias lectiones. In versiculo 3315 pro “Apuleium” “Budaeum” primum scripserat Erasmus atque inter Gallos Badium magno Budaeo odiose praetulerat. Id quod postea coactus est mutare.

¹⁷ M. Tul. Ciceronis *Paradoxa, recognita simul et Graece versa ab Ioanne Morisoto medico nuncque primum in lucem edita. Accesserunt quoque annotationes eiusdem Ioan. Morisoti, quibus et recognitionis ratio exponitur et loci aliquot difficiliores explicantur*, Basileae 1547. Graeca interpretatio una cum praefationibus, sed sine duobus Morisoti epigrammatis, iterum excusa est saeculo undevicesimo: *M. Tullii Ciceronis Paradoxa Graece versa et explicata ab Ioanne Morisoto, accedunt variae lectiones duorum codicum Guelferbytanorum. Edidit Guilelmus Ferd. Wensch*, Halis Saxonum 1840. Halensis editionis paginarum numeros indicavi, quippe cum Basiliensis paginae numerorum notis carerent.

optimi iuvenes, quam si matellionem dici statuam servi, qui matellam porrigit, indicavisset”.

Quid sibi volunt haec verba? aut quis est ille qui ματελλίωνα exponit βρέτας δούλου τοῦ οὔροδοχοφόρου? Si quid iudico, Erasmus est. Nam, is quoque *Paradoxa* Ciceronis edidit atque commentariis illustravit et ad paradoxon V, in quo reperitur rara vox *matellionis*, explicuerat matellionem esse “signum repraesentans servum porrigentem matulam”. Atqui, ut apparet ex loco Varronis, satis turpiter lapsus est. Quem lapsum carpit Morisotus, qui in annotatione ad paradoxon V (§ 38)¹⁸ loco Varroniano allato demonstrat matellionem nullo modo esse servi statuam, verum matulam sive scaphium.

Ad hoc in annotatione critica semper ansam quaerit ut in Erasmum invehatur, velut ad paradoxon I, ubi opponit Erasmum, Ciceronis osorem, Gulielmo Budaeo seque mirari ait locum Ciceronis, ubi vocula abundaret, Erasmum suo more non reprehendisse, qui omnia vel levissima Tullii vitia colligeret atque acerbioribus verbis exagigaret¹⁹. Simili modo ad paradoxon VI, ubi, posteaquam parvum Ciceronis naevum notavit, Morisotus observat Erasmum leve hoc mendum, si animadvertisset, sine dubio diligentissime relaturum fuisse in suo *Ciceroniano*. Exin magnos viros aliquando labi docet loco callide allato, ubi Rodolphus ab Agricola, quem maximi faciebat Erasmus, in similem errorem incidit²⁰.

Interpretamentum Graecum sequuntur bina epigrammata *in Levem*, qui M. Tullii Ciceronis principis oratorum maiestatem ausus erat elevare:

¹⁸ Sic Morisotus ad paragraphum 38. paradoxo V, lib. cit. in annot. 17, p. 40: “Matellionem Corinthium: ‘Arbitror, inquit Erasmus, dici signum repraesentans servum porrigentem matulam’. Miror hominem tantae lectionis non meminisse quod M. Varro de matellione scripserit, ‘Matellio, inquit libro primo [immo, lib. V] de Lingua Latina, a matula dictus, et dictus, posteaquam longius a figura matula discessit’. Set, ut opinor, deceptus est nescio qua vocum similitudine. Nam cum videret mulionem servum mulos curantem atque agentem significare, etiam matellionem existimavit servum esse matulam porrigentem, cuius signum ex aere Corinthio conflatum esset”.

¹⁹ Ad paragraphum 14. paradoxo I, lib. cit. in annot. 17, p. 33: “Ut nihil inter te atque inter quadripedem aliquid putes interesse: Locus hic ab Erasmo non fuit animadversus, cum is tamen vel minima Ciceronis vitia persequatur. Quanquam, an omnia, quae reprehendit, vitio vertenda sint, ipse viderit. Certe Budaeus cum alia multa in commentariis linguae Graecae, tum id egregie praestitit ut Ciceronem indefessa oculorum contentione Graecorum omnium monumenta perspexisse atque insignes loquendi formulas in usum Latini sermonis transtulisse docuerit”, etc.

²⁰ Erasmus, qui puer Daventriae Rodolphum ab Agricola viderat, eum magni aestimabat et saepe laudat, ut in *Adagiorum chiliadibus* (videsis *Opera omnia emendatiora et auctiora [...]*, t. II, Lugduni Batavorum 1703, *Ad.* I 4, 39); in *Ciceroniano* (lib. cit. in annot. 15, p. 244 et 246); passim in epistolis (lib. cit. in annot. 11, ep. 23, t. I, p. 106; ep. 480, t. II, p. 365; ep. 1237, t. IV, p. 589; alibi). Morisoti locus ad paragraphum 46. Paradoxo VI, lib. cit. in annot. 17, p. 42 sic incipit: “Quis hunc non putet confiteri sibi quaesito opus non esse?: Pro: Quis te non putet confiteri tibi quaesito opus esse? Soloecismus est, quem neque deprehendit Erasmus, neque quisquam alius, quod sciam. Est enim verisimile, si hunc observasset Erasmus, quod ab eo fuisset diligenter adnotatus, quando etiam minutiora quaedam reprehendit. Quanquam in Ciceroniano Ciceronem in soloecismos scripsit incidisse”, etc.

In Levem Ioannis Morisoti Epigramma

Te, Levis, argute Paradoxa refellere iactas,
 Et sophiae rides eloquiique patrem.
 Indocti, fateor, laudant, mirantur, adorant
 Tam fuitiles nugas, scriptaque putidula.
 At docti tua furta vident; nam si omnia Marco
 Reddideris, Marco tu nihil obiicies.

In eundem

Si cui tam mala mens, tamque sit invida,
 Ut sacram Iliadem dentibus impetat,
 Divinumve Platonem,
 Vel Demosthenis inclyti
 Vim illam atque ingenium; num stabilem sibi
 Famam constituet? non mage quam suos
 Si de sede magistratos
 Expellat scutica furens,
 Cur ambis igitur per facinus novum
 Immortale decus? Gloria Tullii
 Non cedit rabiei,
 Ut quondam caput ensibus.

Quis est Levis in quem haec scripta sunt? An Erasmus? Non arbitror. Epigrammata addita esse a Morisoto crediderim *Paradoxis* iam Graece redditis et prelo paratis, postquam rescivit Marcum Antonium Maioragium *Antiparadoxa*²¹ confecisse, quibus Ciceronis *Paradoxa* refutaret. Non me clam est Amerbachium paulo ante eiusdem argumenti opus composuisse, sed, si unus homo, non plures Ciceromastiges intellegendi sint, Maioragium potius sub Levis persona latere dixerim. Maioragius enim cum clarus Ciceronianae dictionis aemulator omnia debere Marco Tullio videretur, quem etiam defenderat adversus Caelium Calcagninum, tum homo *levis* sive inconstans in suum dicendi magistrum in-vectus erat²². Utcumque res est, ea carmina non esse silentio praetereunda duxi,

²¹ *Antiparadoxa sive suburbanarum quaestionum libri VI in quibus omnia M.T. Ciceronis paradoxa refelluntur*, Lugduni 1546. De Maioragio autem si plura scire cupis, videas eius vitam satis fuse a KOHLIO descriptam in volumine q.i. *Deliciae epistolicae sive epistolarum argumenti non minus raritate quam orationis cultu atque elegantia insignium fasciculus Maioragii, Graevii, Bartholini, Schefferi, aliorumque [...] complexus. Edidit et de vita scriptisque Maioragii praefatus est Ioan. Petr. Kohlius. Accedit Ioan. Erhardi Kappii, Prof. Lips. ad editorem epistola*, Lipsiae 1732.

²² Hominem purum putum Ciceronianum fuisse vel inde elucet, quod, cum Antonius Maria partim de nomine patris, partim in honorem Virginis Mariae appellatus esset, sibi elegit nomen Marci Antonii, magis videlicet Romanum (cfr. librum q.i. Marci Antonii Maioragii *Orationes et praefationes una cum dialogo de eloquentia olim a Ioan. Petro Ayroldo Marcellino, Venetiis in lucem prolatae; nunc vero, mendis infinitis exentis, ad iuventutis utilitatem denuo editae, studio et opera M. Danielis Caesaris Ositiensis*, Lipsiae 1593, in oratione X, pp. 197–257.). De controversia autem,

quod ex iis quoque Morisotum strenuum Ciceronis propugnatorem fuisse colligi posse viderem.

Itaque, si a grammatico errore, quem notavit in epistola Graeca, recesseris, omnes hi loci ad controversiam de studio Ciceronem imitandi spectant. Sed haec hactenus de *Paradoxis*, ad librum de parechemate propero.

LIBELLUS DE PARECHEMATE

Hic liber anno 1547 compositus et una cum colloquiis anno 1550 in publicum emissus totus est defensio famosi versiculi Ciceroniani: “O fortunatam, natam me consule Romanam”. Hunc versiculum cum iam Quintilianus (*Inst.* XI 1, 24) et Iuvenalis (10, 122) ut ineptum reprehendissent, maxime usurpabat Erasmus ut Ciceronem, non omnibus numeris absolutum auctorem, immo pessimum poëtam fuisse demonstraret.

Morisotus, ut Ciceronem bonum fuisse poëtam demonstraret, venustissimos versus ax aliis eius carminibus afferre poterat. Minime id facit. Versum omnium consensu pessimum defendendum suscipit. Praeter expectationem probare nititur eum esse pulcherrimum: fuisse scilicet illam reduplicationem soni *natam* figuram veteribus acceptissimam, quae a nomine Ἠχοῦς Graecis vocaretur παρήχημα. Id quod auctoritate multorum scriptorum tam Graecorum quam Romanorum corroborat.

Praeterea hanc reduplicationem callide assimilat lusibus Echoicis, qui magno in pretio illis temporibus erant atque nitebantur auctoritate Gaudarae, antiquissimi, ut tum putabatur, poëtae Graeci. Qui in Anthologia Graeca (*Anth. Plan.* X 4) Pana quasi cum Echo colloquentem induxit:

Ἀχῶ, φίλα, μοι συγκαταίνεσόν τι. – Τί;
 Ἐρῶ κορίσκας, ἄδ' ἐμ' οὐ φιλεῖ. – Φιλεῖ.
 Πρᾶξαι δ' ὁ καιρὸς καιρὸν οὐ φέρει. – Φέρει.
 Τὺ τοίνυν αὐτᾶ λέξον ὡς ἐρῶ. – Ἐρῶ.
 Καὶ πίστιν αὐτᾶ κερμάτων τὺ δός. – Τὺ δός.
 Ἀχῶ, τί λοιπὸν; ἢ πόθου τυχεῖν; – Τυχεῖν.

Quod Grotius eleganti carmine interpretatus est:

Echo docebis mene quae volo? – Volo.
 Amare me, sed non amari me fama? – Ama.
 Fruine tempus ut queam dabit? – Dabit.
 Fer verba amoris signa quem feram? – Feram.
 Fidem sed auri te rogo duis. – Duis.

quae Maioragio intercessit cum Calcagnino, videatur KOHLIUS, lib. cit. in annot. 21, pp. 38 sq. et 55–61.

Echo, quid ultra restat? an frui? – Frui²³.

Ibi versus sunt ita compositi ut ultimae syllabae iteratae quasdam quasi nymphae Echus responsitationes effingant²⁴. Hoc poëma echoicum Angelus Politianus, postquam suis *Miscellaneis*²⁵ inseruerat addita Latina interpretatione atque alibi carmine Italico expresserat (*Rime* XXXVI), multis eiusdem generis lusibus originem dederat. Tam linguis recentioribus quam Latina atque Graeca innumerabiles poëtae Echo fecerunt sibi respondentem. In his ipse Morisotus, qui in libro amatorio ad suam Claudiam Echoicum poëmation lusit sic incipiens:

E<c>ho, responde, qualis mea Claudia? – Dia²⁶.

Callide igitur (forsitan callidius quam rectius) illud *fortunatam natam* ab omnibus derisum schemati assimilat, quod tum maximo in pretio erat, atque Ciceronem quasi participem lusuum Echoicorum facit illis temporibus, quibus Graeca nympa toto Helicone aequalium poëtarum vocibus recantabat. Notat quoque Erasmum, qui, quam figuram vitio vertisset Ciceroni, hac ipse usus esset cum alibi, tum in quodam carmine ad Ioannem Sapidum (lib. cit. in annot. 2, p. 278).

COLLOQUIORUM LOCI, QUI SUNT ADVERSUS ERASMUM

Denique in colloquiorum libris praeter praefationem supra allatam, duos locos reperias ubi Erasmus lacerat. Prior est maxime conspicuus. In primo enim colloquio, quod est de ratione studii (ibid., p. 10):

Nam – ait – quod Erasmus factitat, ut nova quaedam atque inusitata, ac proinde non usurpanda in hoc autore [in Cicerone] observet, nec imitandum,

²³ Videatur *Anthologiae Graecae cum versione Latina Hugonis Grotii editae ab Hieronymo de Bosch tomus secundus* Ultraiecti editus a. 1797, p. 403.

²⁴ De hoc scriptiois genere antiquis temporibus et litterarum renascentium aetate exculto legere est verbi causa Martini СНООСКП dissertationem insertam libro q.i. *Lusus imaginis iocosae sive Echus a variis poëtis, variis linguis et numeris exculi ex bibliotheca Theodori Dousae I. f. Accessit M. Schoockii dissertatio de natura soni et Echus*, Ultraiecti a. 1638 vulgato (ante omnia inspiciendum caput XIII).

²⁵ Angeli Politiani *Operum tomus primus, epistolarum libros XII ac miscellaneorum centuriam I complectens* Lugduni 1539, p. 551 sq. Haec miscellaneorum centuria primum edita est anno 1489. Tum demum hoc poëmatis genus magno studio a poëtis coli coeptum est, licet exemplum similis artificii reperiatur in carmine quodam Gallico saeculi XIII, ut docet E. COLBY in opusculo quod inscripsit *The Echo-Device in Literature* Novi Eboraci a. 1920 edito, p. 15.

²⁶ Ioannis Morisoti *Liber amatorius ad Claudiam Maranchianam* (Lugduni 1558), p. 54. Unicuique, quod sciam, huius libri exemplum Londini servatur in bibliotheca Britannica (BL, 1002.c.29). Ceterum Echoica poëmata aetate renascentium litterarum scripta usque ad satietatem legere potes in spisso volumine, quod dudum laudavimus in annotatione numero 24.

nec ferendum esse duco, non quod Cicero non innovarit pleraque, ut est apud Plutarchum; set quod linguae Latinae miseratus inopiam, Graecanicam gazam in Latium comportarit.

Alter locus est in colloquio “Contentio de authoribus inutilis” inscripto (ibid., pp. 180–182), quo ostendere voluit Morisotus satius esse dotes magnorum virorum imitari quam vitia carpere. Ibi partes agit Lerochares quidam, maximus Budaei admirator qui cum Philonico, Erasmi assecla disceptare solet. Dum hic variis modis de Budaeo detrahere conatur, quod in eo dicendi facilitas defuerit vel quaedam prave interpretatus sit, ille clamat (locus legitur ibid., p. 181)

dictionem Erasmi humilem, nec conferendam esse cum gravitate Budaica; illum praeterea vertendis Graecis authorum mentem saepe non tenuisse, et fere tractasse aliena inventa, ac fuisse in quibusdam etiam frigidulum; in iocis vero et salibus tam occupatum ut plerunque videatur caruisse iudicio, maluisseque, quod vulgo dicitur, amicum perdere quam verbum²⁷; adhaec sic mutasse sententiam, ut chamaeleontem ferunt colores; nec sine periculo legi posse²⁸.

Morisotus igitur in eo ipso dialogo quem composuit ut demonstraret eos tempus conterere qui semper magnos viros lacerarent, in Erasmus debacchatur. Nam, quanquam haec Morisotus posuit in ore futillis hominis, quem nullo modo ut exemplum ad imitandum legentibus proponit²⁹, facile tamen intellegas ea esse maligne ab auctore dialogi inserta. Qui cum vix Budaei menda attigerit, hanc occasionem in Erasmus dicendi amittere noluit. Sed satis de colloquiis diximus.

Nunc percursis omnibus Morisotianis locis, qui contra Erasmus scripti sunt, melius intellegimus praefationem ad colloquia. Etenim, si missum faciamus proximum locum colloquii c.i. “Contentio de authoribus inutilis”, quo universa Erasmi vitia promiscue perstringuntur, inveniemus unum e reliquis locis ad vocabulum *matellionis* perperam ab Erasmo expositum pertinere; unum de pagani-tate, ut ita dixerim, Erasmi esse, praefationem; ceteros locos: integrum librum de parechemate; duos locos in annotationibus criticis ad *Paradoxa*; unum in primo colloquio, haec omnia eo spectare ut Tullius adversus Erasmi calumnias vindicetur. Praeterea duo epigrammata *Paradoxorum* Graecae interpretationi suffixa, cum adversus Ciceronis obtrectatorem sint facta, Ioannem Morisorum strenuum Arpinatis defensorem fuisse confirmant.

²⁷ Hoc adagio usus est Quintilianus (*Inst.* VI 3, 28). Cfr. quoque Senecam (*Controv.* II 4, 23).

²⁸ De proverbio *chamaeleonte mutabilior*, adeas Erasmi *Chiliades*, lib. cit. in annot. 20, *Ad.* III 4, 1.

²⁹ Lerochares (id est, si ad nominis vim respicias, ὃς λήροις χάριται, is qui nugis delectatur) nebulo est quem mulier Sophronia redarguit.

ALIORUM INTERPRETUM OPINIONES PERPENDUNTUR

Iam postulat libelli ordo ut ad Lucianum FEBVRE et Aloisium BÖMER revertamur: si ita est, ut FEBVRE vult; si idcirco Morisotus in colloquiorum limine impietatis Erasmum arguit ut censorum criminationes praeverteret atque se prorsus alienum esse a periculosis, ut quibusdam videbantur, Erasmi sententiis demonstraret; cur paulo antea, in editione *Paradoxorum* obliquis dictis iisdemque Graecis vel inter annotationes criticas paene occultis Erasmus vellicaverit? Nam, cum neque Graece reddendis Ciceronis *Paradoxis*, neque variis lectionibus diiudicandis quicquam contra fidem vel auctoritatem Ecclesiae Romanae proferre posset, nulla defensione opus erat. Si autem Erasmi contemptum ostentare vellet, longe id clarius facere poterat.

Haec si reputemus, Luciani FEBVRE opinionem, licet fortasse aliquid veri contineat, non sufficere videmus ut odium, quo Morisotus Erasmum persequitur, planum fiat.

BÖMER vero, ut supra diximus, volebat Morisotum unum esse de fanaticis catholicis qui bellum Erasmo indixissent quod multa adversus Ecclesiam Romanam et mores cleri temere esset locutus.

Atqui, si ipse catholicus fanaticus est, cur toties res subturpiculas colloquiis inseruit? cur sacerdotes dissolutis moribus et verbi causa rem habentes in templo cum mulieribus depingit (ibid., p. 161)? cur alibi monachos scortari significat (ibid., p. 180)? cur nimium cultum reliquiarum prae vera pietate contemnit (ibid., p. 141)? Ne pluribus, cur tanquam alter Erasmus scribit? Hoc ego non solus assevero, sed etiam theologi Sorbonici, viri in fidei catholicae rebus longe me BÖMEROVE peritiores. Quorum auctoritate anno 1556 cautum est ut colloquia Morisoti in indicem librorum prohibitorum referrentur³⁰.

Quid quod omnibus, quae quidem ad nos pervenerunt, Morisoti operibus excussis tot locos repperimus in quibus Erasmum traduceret quod studium adamus-sim Ciceronem imitandi irridere ausus esset, in quibus impietatis eum insimularet, solummodo unum. Neque Morisotus sententiam mutavisse putandus est, qui in ipsis colloquiis, post illam in Erasmi gentilitatem praefationem, cuius locum in initio huius commentationis attulimus, in primo statim dialogo eundem Erasmum oppugnet, quod insolentiam verborum quorundam in Cicerone reprehenderit.

Denique, quod paganum Erasmum vocat in colloquiorum praefatione, inde non continuo sequitur ut sit catholicus fanaticus. In controversia litteraria argumenta undecumque sumere non cunctabatur. Sic agebant illi reipublicae litterariae gladiatores. Omnibus armis utebantur ad adversarium prosternendum.

Ita egisse scimus alios Ciceronianos, qui in eadem arena versati sunt. Nam tam Scaliger quam Doletus in libris, quos pro imitatione Ciceroniana adversus

³⁰ Cfr. I.-M. DE BUJANDA et al. *Index des livres interdits: Index de l'université de Paris 1544, 1545, 1547, 1549, 1551, 1556*, Genavae 1984.

Erasmum scripserunt, probro ei verterunt, quod statum religionis Christianae novis opinionibus conturbasset³¹. Atqui neuter catholicus extremae factionis fuit. Scaligeri opiniones ad Lutheranam doctrinam vergebant. Adeo ut anno 1538 haereseos accusatus sit³². Doletus autem ut atheus in area Malbertina combustus est. Argumentum labefactatae religionis arripuerunt homines in rhetorica assidue exercitati ut adversarium in invidiam raperent.

Quid? Videmus etiam Doletum in suis commentariis linguae Latinae non minus acriter reprehendere Erasmi errores quam Morisotum in Ciceronis *Paradoxis* a se editis. Num quis dicet simultatem, quae Doletum intercessit cum Erasmo, originem ducere ab hisce grammaticis mendis? Minime, sed, quoniam de imitatione Ciceroniana dissentiebat, ob eam causam, quibuscumque poterat modis, invidiam Erasmo conflare conabatur.

Quibus de causis crimen impietatis forsitan nihil aliud sit nisi unum ex argumentis a Morisoto adversus scriptorem Batavum inventis. Quicquid id est, hoc certe e praecedentibus colligi posse existimo Morisotum non fuisse catholicum ὀρθοδοξότατον et dissensionem de rebus divinis, si qua extitit inter duos homines, non principem locum in hac controversia obtinuisse.

OBIECTIONUM QUARUNDAM PROLEPSIS

Dicit aliquis vestigia Erasmianae imitationis, quae inesse scriptis Morisoti supra observavimus, adeoque ipsum finem eius colloquiorum, qui est ut adulescentes Latine sermocinari discant, sententiae in hoc libello propositae omnino repugnare. Neque enim tale quid scripsisset Morisotus, si unus e Ciceronianis fuisset. Qui homines a colloquiis extemporalibus prorsus abstinebant, neque ullum alium auctorem ad formandam orationem legebant, nisi numen suum, M. Tullium Ciceronem, nedum Erasmum imitarentur. Haec si quis cogitet, eum reputare velim saeculo sexto decimo medio extra Italiae fines paucissimos Ciceronianos tam morosos fuisse ut, ne quas barbariei sordes sua oratio inde traheret, sese ex tempore loquendi consuetudini committere nollent; nec plures hanc rigidam legem sibi imposuisse ut, si quod vocabulum genusve loquendi apud Tullium vel apud unum alterumve scriptorem ei aetate supparem se legere non meminissent, id statim reformidarent et, ut aiunt, cane peius et angue vitarent; verum multos, immo plerosque eorum ita Ciceronis dictionem imitari consuesse ut et expedite Latine

³¹ Cf. Jules-César Scaliger *Oratio pro M. Tullio Cicerone contra Des. Erasmum (1531). Adversus Des. Erasmi Ciceronianum oratio secunda (1537). Textes présentés, établis, traduits et annotés par Michel Magnien. Préface de Jacques Chomarat*, Genavae, 1999, p. 46 sq. et p. 273 atque *L'Erasmianus sive Ciceronianus d'Étienne Dolet (1535). Introduction – fac-similé de l'édition originale du De imitatione Ciceroniana – commentaires et appendices*, Genavae, 1974, pp. 35–41 Doletiani dialogi.

³² Videsis L. FEBVRE *Le problème de l'incroyance au XVIe siècle. La religion de Rabelais*. (Lutetiae Parisiorum, 1968), p. 80 sq.

loquerentur et e multis aliis auctoribus vocabula petere non dubitent, id est non unice, sed praecipue Ciceronem sectarentur³³. Testis esto Nicolaus Beraldus, Ciceronianus quidem, sed qui adeo in flumen sermonum extemporalium sese proicere non dubitaret ut luculentissimum dialogum composuerit *quo rationes quaedam explicantur, quibus dicendi ex tempore facultas parari potest*, hoc est, quo legentes, ut e titulo clare intellegitur, non modo sermones miscere, verum *dicere* sive colloquia verborum et sententiarum luminibus distincta vel etiam, si deo placet, iustas orationes secundum rhetorum praecepta formatas imparati Latine habere assidua exercitatione discerent³⁴. Tantum abest ut Latine loqui recusaret! Testis esto is, quo neminem felicius Ciceronianum scribendi genus expressisse constat, Marcus Antonius Muretus, quem et expeditissime Latine loqui solitum, et etiam ex Apuleio, Lactantio, Cassiodoro aliisque posterioribus scriptoribus voces et loquendi genera aliquando mutuari accepimus³⁵. Testes denique sunt alii Ciceroniani transalpini, qui, ut Ioannes Sturmii, Maturinus Corderius, Ioannes Pontanus colloquia ad provehendam in scholis Latine loquendi consuetudinem conscripserunt³⁶.

³³ Vide imprimis claram Terentii TUNBERG commentationem a me in annot. 14 citatam: *Ciceronian Latin: Longolius and others*.

³⁴ Nicolai Beraldi Aurelii *Dialogus, quo rationes quaedam explicantur, quibus dicendi ex tempore facultas parari potest; deque ipsa dicendi ex tempore facultate, ad reverendissimum Cardinalem Oddonem Castellionensem, tituli divorum Sergii, Bacchi, Apuleii, virum utriusque linguae peritissimum* Lugduni 1534. Cuius opusculi notitiam debeo magistro meo Terentio TUNBERG qui id ante aliquot annos, cum in universitate studiorum Kentuckiana magistrandus erudirer, in scholis interpretandum suscepit. In initio dialogi Beraldus Ciceronianos extremae factionis oppugnat.

³⁵ Cfr. locos Muretinis tum alios, cum caput I libri XV *Variarum Lectionum* (M.A. Mureti *Opera omnia ex mss. aucta et emendata cum brevi adnotatione Davidis Ruhnkenii studiose ab se recognita, emendata, aucta selectisque aliorum et suis adnotationibus instructa accurate edidit Carolus Henricus Frotscher*, T. III, Lipsiae 1841, p. 326–333). Ubi Gallus scriptor Italos suae aetatis a superstitione unius Ciceronis imitatione, qua Latine ex tempore loqui et de omnibus rebus agere impediabantur, avertere molitur atque sese ex aetatis imperatoriae scriptoribus verba libenter depromere proficitur. Ceterum id Muretum sincere dixisse quidam grammatici in dubium vocaverunt, credo, quia ipsi aliter de auctoribus imitandis sentiebant atque praestantissimi oratoris auctoritatem ad suam factionem trahere cupiebant. Contra eorum opinionem Terentius TUNBERG demonstravit Muretum reapse a multis auctoribus voces sumpsisse. Videsis opus eius *De Marco Antonio Mureto, oratore et Gallo et Romano* in annot. 14 laudatum. Promptam autem et expeditam ex tempore loquendi facultatem in Mureto fuisse corroborant Scaligerana Vassani: “Mureto nullus fuit post Ciceronem qui expeditius loqueretur et scriberet Romane” (*Scaligerana Thuana, Perroniana, Pithoana et Colomesiana ou remarques historiques, critiques, morales et littéraires de Jos. Scaliger, J. Aug. de Thou, le cardinal du Perron, Fr. Pithou, et P. Colomiés. Avec des notes de plusieurs savans*. T. II, Amstelodami 1740, p. 466).

³⁶ Ioannis Sturmii *Neanisci [...] Argentorati 1565* (principem cuiusque operis editionem indico, non locupletissimam); Iacobi Pontani *Progymnasmatum Latinitatis sive dialogorum [...] tria volumina Ingolstadii vulgata 1589–1594*; Maturini Corderii *Colloquiorum scholasticorum libri III, ad pueros paulatim in sermone Latino exercendos [...] Genavae editi 1563*. Haec *Colloquia* Corderiana, sicut et *Progymnasmata* Pontaniana, saepissime typis expressa sunt.

Nihil igitur mirum Morisotum, quamvis esset Ciceronianus, et alios quam Ciceronem auctores stilo expressisse, et colloquia extemporalia coluisse atque ut idem facerent adulescentes exhortatum esse. Quin immo ipse vituperare solebat Ciceronianorum quorundam Itolorum insaniam, qui angusta unius Ciceronis imitandi superstitione omnino illigarentur³⁷, neque adeo caecutiebat quin egregias Erasmi dotes cerneret. Quas imitari pro virili parte studebat, quippe qui expedire putaret magnorum virorum virtutes exprimere, vitia ignorare³⁸.

CONCLUSIO

His omnibus de causis arbitror Ioannem Morisotum, moderatum Ciceronianum, in Erasmus ob id potissimum invecum esse quod nationem Ciceronianorum ab eo irrideri atque Tullii sui auctoritatem elevari aegre tulerat. Eius dissensionis historia particula est parum nota illius controversiae, quam viri docti de Ciceronis imitatione renascentium litterarum aetate agitaverunt.

*In Universitate Wratislaviensi.
antoine.haaker@gmail.com*

³⁷ In colloquio q.i. “Narrationes”, Crispinus quidam referens quae in Italia viderit tria dogmata ibi vigere statuit, quae aequae insana existimat. Ex quibus unum est Pyrrhoneorum; alterum eorum qui nihil nisi vulgari lingua scribant; tertium eorum qui nihil ferant nisi omnino Ciceronianum. “Hinc”, inquit, “non audent Iesum Christum nominare. Si quid de mathematicis, de agricultura, de arte medica, de iurisprudencia, de theologia dicendum sit, cuius vestigium non visatur in Cicerone, etiam si illud apprime norint; tamen hanc sibi partem eruditionis perire malunt quam a dogmate deficere” (lib. cit. in annot. 2, p. 99).

³⁸ Hanc sententiam defendit in colloquio q.i. “Contentio de authoribus inutilis”, lib. cit. in annot. 2, pp. 180–182.